

**De morborum divisione in genere et de cachexis in specie : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Henricus Henseler.**

**Contributors**

Henseler, Heinrich.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Jordanianis, 1830.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fbh46cqt>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE  
MORBORUM DIVISIONE IN  
GENERE ET DE CACHEXIIS  
IN SPECIE.

---

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
QUAM  
SENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE  
FRIDERICA GUILIELMA,  
PRO SUMMIS  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS  
RITE IMPETRANDIS  
DIE XII. M. AUGUSTI A. MDCCCXXX.  
H. L. Q. S.  
PUBLICE DEFENDET  
AUCTOR  
HENRICUS HENSELER,  
BIELEFELDIENSIS.



OPPONENTIBUS:

B. FERRARI, MED. ET CHIR. DR.  
A. ROETTSCHER, MED. ET CHIR. DD.  
J. NADERMANN, MED. ET CHIR. CAND.

---

BEROLINI, TYPIS JORDANIANIS.

MORBORUM DIVISIONE IN  
GENERE ET DE CACHEXIIS  
IN SPECIE

DISSERTATIO  
IN AURURIS MEDICIS  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

ALMA MATER UNIVERSITATIS  
FRIDERICAE GUILLIELMINE

IN MEDICINAM ET PHYSICAM  
DIE XII. M. AUGUSTI. MDCCLXX.

HENRICUS HENSTLER  
PUBLICE DEFENDIT  
AUCTOR

PROFESSOR MEDICINAE

OPPOSITIBUS

H. FERRARI, MED. ET CHIR. DOCT.  
A. ROETTIGER, MED. ET CHIR. DOCT.  
J. DÄUBER, MED. ET CHIR. DOCT.

HENGLIN, TYPIS LONDARUM



**FRATRI**

**OPTIMO ATQUE DILECTISSIMO**

**FRANC. ANTON. HENSELER,**

**VICARIO ECCLESIAE CATHEDRALIS  
PADERBORNENSIS**



**HASCE**  
**LITERARUM SUARUM PRIMITIAS**

**DEDICAT**

**AUCTOR.**

---

## Praefatio.

---

Quo magis in dies non solum singularum medicarum disciplinarum argumenta, sed etiam ipsarum doctrinarum numerus augetur; quo extensior igitur fit rerum cognoscendarum sylva; eo difficilius quoque in medicina tironi redditur, omnibus satisfacere, quae artis scientiaeque suae sublimis dignitas ab eo deposcit. Etsi igitur sapientes rerum publicarum gerendarum moderatores studii medici olim praeceptum triennium in quadriennium extenderint, eo impedire haud potuerunt, quo minus, eo finito academicorum studiorum cursu, rei nobis propositae arduitate clarius cognoscamus, et libere fateamur, nos tantopere adhuc ab intimis huius Aesculapii sacri abesse, ut vix potius eius januam penetrasse



nobis videamur. Quae cum ita se habeant, haud mirandam est, quod medicinae studiosi fere omnes munus illud, vetutissimo more iis impositum, dissertationis scilicet conscribendae, si medicinae doctoris summos honores rite adipisci voluerint, tanta cum anxietate, tantisque dubitationibus aggrediantur, quippe quorum vires, ad omnia necessaria discenda vix sufficientes, ad nova docenda omnino deficient. Itaque et equidem satis diu in eligendo pro inaugurali dissertatione argumenta haesitavi, donec tandem ea in publicum edendi cepi consilium, quae e multis meis de morborum divisione in genere et de cachexiis in specie adhuc prodire cogitationibus. Id enim maxime dissertationis conscribendae officium reddit difficile, quod in scientia medica experientia tantum ducti progredi, ea solum innixi theorias componere et sententias edere debemus, qua autem tiro plane fere destitutus, aut alios tantum scriptores describere et aliena sibi vindicare, aut timere debet, ne, quae omni data opera, multisque mensibus impensis excogitaverit et in medium protule-



rit, ab alio iam multo melius prolata sint, aut ne vero multo peior sua res fiat, aut ne naturae observatio accuratior existat, quae omnia sua argumenta eludat, conclusiones refutet, sententias profliget. In eo autem, quod mihi proposui, argumento, spero, me inter theoriae hypotheticae Scyllam et simulatae experientiae Charybdin felicius esse navigaturum, quum res pertractandae partim in primo de morbis ratiocinio versantur, partim e quotidiana aegrotantium observatione depromptae sint. Attamen non ignoro, etiam in hac re tironem facillime in errorem duci posse, quae peritissimos ipsos medicos nonnunquam fefellit, ut ex antiquissimis temporis priorum divisiones morborum a posterioribus vituperarentur, aliis commutarentur, quae denuo citius serius oblivioni tradebantur, vel saltem aliis cedere debebant. Quam ob rem indulgentiam mihi haud deneges, Lector Benevole, quippe qui, quoad humeri ferant, meam opinionem de classificatione morborum systematica Tibi traditurus sum, perlustratis simul brevissime celeberrimis veteribus et recenti-

bus systematibus pathologicis et addita denique exempli instar cachexiarum classe. Dilabitur inde dissertatio mea in quatuor capita, primum scilicet: De divisione morborum in genere, alterum: De principalibus priorum temporum systematibus nosologicis, tertium: De cachexiis in genere, quartum denique: De singulis aegritudinibus, ad cachexiarum classem pertinentibus

A u c t o r.



## C A P U T I.

### De divisione morborum in genere.

Omnia naturae phaenomena tum anorganicae, tum organicae tum etiam sublimioris animi vitae, homo, ut ea facilius cognoscat et legibus certis affigere possit, ad unum complexum redigere studet, quo omnes varietates ad unicam certam ideam referuntur. Hac via in omnibus scientiis systemata rerum pertractandarum orta sunt. Uti autem ab una parte his systematibus fretum ingenium humanum tutius progressum est, ita ab altera parte negari non potest, saepissime desiderium systematis in rebus naturalibus cognoscendis et pertractandis homines in falsam viam egisse, ita, ut non naturae systema sed potius huic illam adaptarent. Hac ratione in mineralogia, in botanice atque in Zoologia multa sytemata prodierunt et evanuerunt, quae secundum confictas sententias physicorum facta, res naturales, non, uti sunt, or-



dinabant, sed uti oculis illorum systematicorum  
 sese manifestabant. Natura enim universa secun-  
 dum certum sed reconditum principium agens,  
 multifariis viribus libere utitur, nec angustis illis  
 viis, quas systematici ei praescribunt, potest coer-  
 ceri. Neglectis autem hic omnibus systematibus  
 rerum naturalium anorganicarum, ad eam tantum  
 animum advertimus divisionem, de qua, ad innu-  
 meros, organismum humanum afficientes, morbos  
 describendos et definiendos ab hodierno scientiae  
 medicae statu plurimum sperari potest. Quam  
 multa etiam in omnibus compendiis pathologicis  
 de morbi natura scripta sunt, attamen haud alie-  
 num esse puto, statum morbosum paucis verbis  
 definire, eumque cum sano comparare, prius quam  
 enim acurate de materia nostra disserere, et spe-  
 rare possum, me perfecte intellectum iri, necessa-  
 rium arbitror, ut de argumento ipso, i. e. de mor-  
 bo meam praeferam sententiam. Quique morbum  
 innaturalem nominaverunt statum, in eo peccabant,  
 quod naturam a legibus ei praescriptis nullo modo  
 et nunquam aberrantem, cum statu hoc momento  
 existente et speciali eius manifestatione commuta-  
 rent. Status innaturalis nunquam reperitur, et si  
 interdum consueta corporis naturalis phaenomena  
 in inconsueta mutata videmus, haec res non



aberrante natura ipsa, sed mutatis conditionibus ad normalem actionem pertinentibus perficitur. Secundum hoc principium sano atque morboſo hominis ſtatu inter ſe comparato, ſequentem utriusque inter ſe rationem agnoſcere debemus. Ab ovo quidem in hac re perquirenda incipiendum erit, deinceps citiſſime autem ad proprium finem meum feſtinabo. Univerſa natura, haec Dei filia, divini patris indolem in eo prae ſe fert, quod ſimul in aeterna actione et aeterna quiete eſt. Innumera variarum virium copia perpetuo libere, ſed non temere ſecum certant, ita, ut natura in ſempiternum ipſa ſe ipſam perdere videatur, illoque certamine nihil aliud niſi vitam ſuam aeternam manifeſtet. Harum virium naturalium multae ſingulis in modificationibus inter ſe novum ineunt certamen aequilibriumque efficiunt, quo fit, ut ſingula genera corporum naturalium oriantur, quae per ſe quidem exſiſtere videntur, re vera autem perpetuo effluxum ſuum ex natura univerſa et connexum cum ea manifeſtant. Nemo ignoret, me hic de illis naturalium corporum tribus loqui ſeriebus, quae ſub nomine ordinum naturalium obveniunt, anorganici ſcilicet, vegetabilis et animalis. Poſterior uterque ordo organicus nominatur, quippe qui non ſolum certas ſpeciales formas, ſed



etiam individualitates statuunt. Individuum autem illud nominandum est corpus, quod e variis viribus partibusque ita compositum est, ut generalem quasi ex iis formet vim, quae contra omnes alias se infestantes, se tueri studet, etsi in se ipso in perpetuo sit certamine. Illa vero vis generalis individui vis vitalis est; eius manifestatio corporea organismus, eius certamen vita. Hac ratione facile intelligitur, vim vitalem, organisationem et vitam nunquam ut inter se disiunctas posse considerari, eas potius omnes unum idemque esse, vario tantum modo consideratum. His omnibus ad humanum organismum adhibitis, facile patet, totum genus humanum eam quasi manifestare divini creatoris ideam, qua omnes fere naturae vires ad sublimiorem unitatem inter se coniunctae apparent et individualitatem nobilissimam formant, quae contra totam externam naturam, secundum certas leges se tuetur. Genus igitur humanum, propria illa divinae ideae manifestatio, in sempiternum infestationes externas debellat et devincit, non igitur aeterna tantum vita, sed etiam aeterna sanitate gaudet, quae sola absolutatae sanitatis nomen meretur. Uti autem ex omnibus corporibus naturalibus genus humanum se distinguit, ita in eo ipso denuo singula individua discernenda



sunt, quae totius generis imaginem prae se ferunt, ita, ut quivis homo propria gaudeat vita, quae se contra externam naturam tueri studet, id autem ad certum tantum tempus valet, quo exhaustis in hoc certamine viribus propriis, devicto, autem externo impetu per generis propagationem perit, in novo individuo renovans vim certamen illud continuaturam. Singuli organismi humani mortis causam in vita ipsa habent. Eorum igitur potestas externae naturae debellanti resistendi ad certum modum restricta est, qua re singuli homines relativa tantum sanitate fruuntur.

His praemissis, vita singulorum hominum ut certamen perpetuum apparet, in quo singulae vires organismi humani cum natura externa de principatu certant, et ex quo homo victor sanus, debilior aegrotus, devictus mortuus egreditur. Quod ut melius intelligatur, sequentia addenda sunt. Vitae humanae conditiones tum in organisatione humana tum in natura externa positae sunt. Organisatio vero etsi in totalitate sua unum format individuum, e multifariis tamen partibus, organis et systematibus constat, quae singula propriis viribus instructa invicem in se agunt, cuius actionis demum productum vitam constituit. Ab altera parte natura etiam externa etsi secundum certas



agit leges, in singulis tamen virium suarum manifestationibus fortuitis casibus subiecta est, ita, ut illae eius qualitates, quibus cum humano organismo in connexu stat, non semper uniformes sint, nec igitur eodem modo eum semper afficiant. Mirificus lusus inter utramque hanc vitae humanae conditionem perpetuo adest, variique valetudinis status causas praebet. Si enim vis vitalis non tantum ut integrum singularum organicarum virium harmonia consideratur, illa vis vitalis ut modificatio et manifestatio prodit, quae consensus vocatur. Hoc consensu demum fit, ut singula corporis organa et systemata propriam vitam non solum ad se ipsa conservanda, sed etiam totius organismi integritati impendant. Quam ob rem quodvis organon duplici praeditum est vita, peculiari nempe atque universali. Quum vero vita organica ex harmonia demum omnium organorum prodeat, non tam a singulorum organorum illaesa actione, quam potius ab omnium organorum integra harmonia vitae illius integritas seu sanitas dependet. Hac re patet, quomodo etiam in corrupta singuli organi seu systematis functione sanitas permanere possit, dummodo harmonia universalis seu ille consensus servetur. Id autem aliter fieri nequit, nisi eo, quod singulae singulorum or-



ganorum functiones duplicem inter se habeant rationem, alteram scilicet, qua similiter reagendo se adiuvent, alteram, qua per contrariam actionem aequilibrium corruptum restituunt.

Prior consensus organici modificatio sympathia, posterior antagonismus nominatur et utraque hac vis vitalis qualitate organismus contra variato impetu infestantem naturam externam se tueri, seu sanitatem conservare valet. Res enim naturales vario modo vim in organismum exercent, et hac ratione stimuli nominantur, qui incitabilitate organismi percipiuntur, et normales sunt, si normalem huius reactionem seu incitationem excitant, innormales contra, si reactionem inconsuetam requirunt, nocentes denique, si harmoniam organicam tantopere corrumpunt, ut integritas vis vitalis solvatur. His rite perpensis sanitas, morbus et utriusque inter se ratio facile intelliguntur. Si interna vitae conditio, omnium scilicet organorum et systematum vita tum universalis tum peculiaris a norma non decedit, ita, ut organismus iusta gaudet irritabilitate, simulque stimuli externae naturae in corpus agentes debitam prae se ferunt indolem, tum incitatio etiam in organismo i. e. eius reactio in stimulos normalis est, quem processum sanitas sequitur. Si vero una vel altera virium



vitalium conditio interna, aut hic vel ille externae naturae stimulus corrumpitur, in utrorumque etiam producto in vitali nempe processu, huius aberrationis sequela necessario se manifestare debet. Quum vero, uti antea diximus, vitalis processus in totalitate sua magis ab illaesa omnium organorum harmonia, quam a perfecta singulorum functione dependeat, satis magnae virium vitalium conditiones externae et internae abnormitates ab organismo sine noxa perferri possunt, dummodo consensus totalis, sive per sympathiam sive per antagonismum integer servatur. Tum demum si singularum vitae conditionum una pluresve tantam patiuntur mutationem, ut harmonia organismi offendatur, et normalis singularum partium consensus ad aequilibrium sustentandum haud sufficiat, sed potius insolitae vel sympathiae vel antagonismi rationes requirantur, ille status vitalis processus oritur, qui morbus nominatur. Morbus igitur nihil aliud est, nisi organismi conamen, universalem vitam conservandi sanam, singulorum organorum sanitate corrupta. Duplex hac ratione refutatur multorum medicorum error, unus scilicet morbum statum esse innaturalem, alter morbum processum semper esse nociferum. Quum vero quarumcunque virium actiones in tempore et spatio sub certis formis



se manifestare debeant, ut a nobis cognoscantur; sanitas etiam et morbus variis phaenomenis comitantibus a nobis discerni possunt. Forma autem, quam sanitas nobis praebet normalis ille est processus vitalis, cuius singula phaenomena in physiologia describuntur et qui ab organismo ipso grate persentitur, quae sensatio euphonia nominatur; haud minus autem morbus certam semper prae se fert phaenomenorum in tempore et spatio formam, quae pathologiae argumentum praebet generali et speciali utrique autem in tam diversa, etsi a multis pathologis minus perpensa, ratione, ut iam ex ea, rite perlustrata, clara lux in naturam et divisionem morborum affulgere mihi videatur. Si ab initio statuimus, quod sana theoria et accurata observatione probatur, vim vitalem esse eandem, quae in homine tum sano, tum aegro agat, variis tantum conditionibus modificatam, varia efficere phaenomena: sponte patet, maximi esse momenti, tum conditiones perquirere, e quibus illae modificationes gignantur, tum indolem harum modificatum ipsam, tum denique effectus vis vitalis modificatae eruere. Id autem aliter fieri nequit, nisi perpetua habita ratione vis vitalis in sano corpore agentis i. e. physiologicarum functionum, e quarum sola conditione normali aut ab-



normi vis vitalis status cognosci potest. In omnibus igitur disciplinis medicis, in quibus de vi vitali agitur, non ea ipsa, sed eius tantum effectus i. e. actiones vitales praebent argumentum. Quod si ad physiologiam, pathologiam generalem et specialem adhibemus, iure mihi videor contendere, primam in eo considerare statu vim vitalem in quo omnes vitae tum internae tum externae conditiones normales normalem quoque vitae processum i. e. sanitatem efficiant; secundam vero considerare vim vitalem internis vel externis causis corruptam abnormia igitur vitae phaenomena efficientem, huncque statum morbi nomine designare; tertiam denique nempe specialem vim vitalem alienatam quidem, simul autem variis singulis mutationibus (secundum sympathiae et antagonismi leges) universalem harmoniam restituere studentem perquirere. Pathologia specialis illos organismi considerat status, quibus vis vitalis morbo corrupta, ad sanitatem reverti studet, quorumque in tempore atque spatio manifestationes, aegritudines nominantur. Morbus igitur, qui singulam vis vitalis corruptionem designat, in abstracto quidem considerationis argumentum esse potest, in concreto autem nunquam observandus venit, propterea quod quaevis abnormitas singularis, vim vita-



lem afficiens simul alteram seu sympaticam seu antagonisticam, qua aequilibrium recuperari possit, provocat ita, ut morbus quisque statim certamen contra se ipsum i. e. aegritudinem efficiat. Ex his vero patet, quam innumera variarum aegritudinum esse debeat copia, quum non solum tot vitae normalis conditiones requirantur, quarum singularum variae abnormitates vim vitalem corrumpunt morbumque efficiunt, sed etiam singuli denuo morbi tam varias processuum vitalium reactiones, aegritudines formantes, provocent. Simul autem inde sequitur tum necessitas tum difficultas, immensam aegritudinum sylvam rite dividendi:

necessitas, quia aegritudo non solum ut sanitas argumentum observationis et theoriae praebet, sed etiam rationalem actionem medici naturam adjuvantis requirit, quae, cognita tantum singularum aegritudinum natura varia, divisione earum facta, dirigi et contingi potest; difficultas, quia natura quae, vis vitalis propriam habet, iam in normali statu nobis obscura, in eius variis qualitatibus morbos per aegritudinem debellandi plane nos fugit, et observationi accuratae tantum permittit, phaenomena cognoscere, quibus in singulis casibus vis vitalis simul harmoniam laesam manifestet, simulque restituere studeat. Haec aegritudinum



phaenomena, a pathologis symptomata nominata, unicum nobis divisionis idoneae fundamentum praebere videntur, si perpendimus, naturam sibi semper constantem, tum in normali tum in abnormi statu easdem sequi leges, iisdem causis semper eosdem efficere processus. Facilis quidem haec res esset, si singula symptomata aegritudinum aequae ac singulae functiones physiologicae unum eundemque fontem supponant, itaque e singulis phaenomenis morborum semper omnium reliquarum functionum conditio colligi possit. Quod vero, quum nunquam fere reperiatur, sed potius unum idemque symptoma cum multis aliis sibi oppositis in variis aegritudinibus coniunctum sit, nullum singulum phaenomenon ad aegritudines dividendas sufficit, sed tantum plurium symptomatum catervae, quae se coniungunt, et in hac coniunctione certam semper aegritudinis speciem prae se ferunt.

Attamen negari non potest nonnulla adesse symptomata tanti momenti, ut ab iis multa alia dependeant, quibuscum igitur semper coniuncta observentur, et tum certas singulas aegritudinis formas efficiant. Eiusmodi vero symptomata ad divisionem aegritudinum haud inepta mihi videntur, quippe quibus non solum conditio potestatis, vis vitalis nominatae saepe satis clare elucet, sed



etiam universa et semper sibi constans reliquorum phaenomenorum series indicatur. Quum vero paucissimae tantum aegritudinis eiusmodi symptomata prae se ferunt id divisionis principium ad systema nosologicum condendum non sufficit. Nil aliud inde restat, quam ut, principio divisionis universali carentes et id acquirere quamdiu vis vitalis ipsa incognita manet, haud sperantes, varias aegritudines secundum varia principia inter se comparemus et dividamus, quod etiam maiore vel minore cum successu ab omnium temporum medicis factum est. Animum inde iam advertamus ad principalia systemata nosologica, quae medicinae historia nobis tradit, quorum mere theoretica i. e. in vi vitali ipsa condita citissime evanuerunt et arti nostrae multo plus damni quam commodi attulerunt, illa contra, quae magis empiricam indolem ferebant et neglectis futilibus de vi vitali hypothesis, accuratae phaenomenorum observationi originem debebant etsi progredientibus mutarentur, rationali tamen artis nostrae exercitationi valde profuerunt.

---



## CAPUT II.

## De principalibus systematibus nosologicis.

Quum aegritudines manifestationes virium vitalium morbose affectarum in tempore et spatio praebeant, vetustissimis iam medicis idea arrisit, quam recentiores quoque plurimi sequuntur, aegritudines scilicet secundum spatii et temporis rationem in duas classes dividendi et quidem respectu temporis in acutas et chronicas, respectu spatii in topicas et universales. Haec vero topica divisio minime satisfacit ad singulas innumerorum morborum formas rite describendas et certo ordine diiudicandas. Tempus enim, quo aegritudo decurrit minime ad naturam morbi intelligendam confert, itaque etiam non constans est, ita, ut plures aegritudines modo acutum modo chronicum habeant decursum. Eodem modo extensio morbi in spatio minime est momenti, quum experientia doceat, topicos in universales, hos in illos saepe transire. Id quum veteres iam medici intelligerent, quin ideo divisionem in duos tantum classes amittere vellent febris symptoma ut principium divisionis statuerunt, morbosque in febriles et afebriles distinxerunt.



Quam grave autem symptoma febris praebeat, attamen principium divisionis sufficiens non continet, quum nullus fere sit morbus, qui in decursu suo febrem excitare non possit. Praeterea vero talis divisio in duas classes, si etiam principio apto superstructa esset, multas novas sub divisiones posceret, ut immensa aegritudinum copia in tam magnas provincias redigantur. Qua re omissis illis divisionibus, ad eas transeamus, quae plures aegritudinum catervas seorsim disponunt. Iure cum Hippocrate, medicinae patre incipiendum est, qui in libro *περί φύσεων* de necessitate morbos dividendi loquitur. Hic tamen, etsi accuratissimus et sagacissimus aegritudinum observator, statum scientiae naturalis sui temporis agnovit, et, assecla theoriae Empedocles, quatuor qualitates morbosas secundum quatuor elementa distinxit.

Omissis dogmaticorum et methodicorum systematibus statim maximus et doctissimus veteris medicinae systematicus, Galenus, contemplandus venit: In primo autem iam intuitu eius systema, quod in libro: „de differentiis morborum“ proposuit, theoriam illius temporis philosophicam monstrat, simul autem iam in singula phaenomena constantia respicit. Nam in morbos qualitatum et instrumentalium partium dividit, priores in cali-



dos, siccos, et humidos, posteriores in abnormitates formae, numeri, voluminis et materiae organicae.

Longinquus deinde sequens in medicina lethargus per quindecim saecula nulla systemata alicuius momenti prodidit, ita, ut totum hoc spatium temporis supergrediamur et statim ad saeculum septimum decimum transeamus, quo Platerus et Sydenhamus denuo de necessitate systematum nosologicorum scripserunt et iure contenderunt, omnes illas generales et theoreticas divisiones nullum verae medicinae afferre commodum, sed tales requiri, quae ex accuratissimis singularum morborum specierum descriptionibus inciperent, harum paucas sibi simillimas ad singula ampliora genera coniungerent et denique e pluribus sibi similioribus generibus paucas classes generationes formarent.

Hanc sententiam secutus et longinqua experientia nixus Suavagesius 1) systema suum nosologicum composuit, quod plus duo millia aegritudinum specierum in sequentes decem classes redigit.

---

1) Fr. Boissier de Sauvages Nosologica methodica sistens morborum classes genera et species T. V.

- I. Vitia externa
- II. Febres
- III. Phlegmasiae
- IV. Spasmi
- V. Anhelationes
- VI. Debilitates
- VII. Dolores
- VIII. Vesaniae
- IX. Fluxus
- X. Cachexiae

Hoc systema, etsi singulas classes porrigat, quae iure et secundum accuratam naturae observationem ab aliis discernendae sunt, itaque etiam in aliis systematibus, hodiernis quoque retinentur, tamen simul in eo peccat, quod singula phaenomena, quae plurimos eosque diversissimos morbos comitantur, per se igitur nullius nec diagnostici nec therapeutici momenti sunt, ad singulas proprias classes tollit.

Iisdem vitiis laborant Linnaei et Vogelii 2) systemata, quae sibi persimilia sunt, ita, ut posterioris solum systema afferam. Undecim scilicet ab hoc constitutae classes sunt:

---

2) R. A. Vogel Definitiones generum morborum. Göttingae 1764.



- I. Febres
- II. Hyperaesthesia
- III. Cachexiae
- IV. Morbi dolorosi
- V. - mentales
- VI. - quietales
- VII. - motorii
- VIII. - suppressorii
- IX. - evacuatorii
- X. - deformes interni
- XI. - vitiosi externi

Quum igitur hae morborum divisiones partim principio minus rationali superstructae, partim nimis multas classes continere videantur, Guil. Cullen 3) simplicius et ex natura morborum propria depromptum systema in sequentibus classibus quatuor proposuit:

- I. Pyrexiae
- II. Neuroses
- III. Cachexiae
- IV. Morbi locales.

Simplicitas quidem huius systematis minime negari potest, sed quaeritur, an non haec ipsa simplicitas commoda eius imminuat, quum satis

---

3) Synopsis nosologiae methodicae. Edinb. 1771.

multae sint aegritudines, quae haud facile sub una vel altera harum classium considerandae forent. Exanthemata e. c. tum febriles tum afebriles, tum inflammatoriae, tum nervosae esse possunt, itaque tum ad primam tum ad secundam classem referenda essent. Hoc simplicitatis damnum J. P. Frank 4) eo amovere studuit, ut septem sequentes morborum classes institueret:

- I. Febres
- II. Inflammationes
- III. Exanthemata
- IV. Impetigines
- V. Profluvia
- VI. Retentiones
- VII. Neuroses

In hoc systemate, ad praxin medicam satis apto exanthemata ab impetiginibus et profluvia a retentionibus fortasse minore iure disiuncta sunt, ita, ut quinque tantum classes remaneant, quarum dubium est, cui tabes adscribatur.

Eodem modo practicam respiciens utilitatem C. Sprengel 5) septem classes morborum sequentes statuit:

---

4) Epitome de curandis hominum morbis. Mannh. 1792.

5) C. Sprengel Handbuch der Pathologie. Leipzig 1795.



- I. Morbos febriles
- II. - inflammatorios
- III. - Cutaneos
- IV. - Excretorios
- V. - Dolorosos
- VI. - Nervosos
- VII. - Cachecticos

Id systema illi Frankii persimile est et eo tantum differt, quod exanthemata et impetigenes, profluvia et retentiones in duas tantum classes cutaneam sc. et excretoriam redigantur, simul autem novae classes duae cachectica scilicet et dolorosa accedant, quarum vero posteriorem, et magno cum iure auctor ipse serius ex systemate omisit. 6)

Simili ratione, practicam nempe utilitatem respicientes, 7) Ph. Pinel, 8) C. W. Hufeland, 9) G. W. Conspruch, 10) A. F. Hecker, sua condiderunt systemata, quae, singulis nominibus mutatis, easdem fere classes continent.

---

6) C. Sprengel Institutiones medicae. Amst. 1814.

7) Nosographia Philosoph. Paris 1798 — 1810.

8) System der practischen Heilkunde. Leipz. 1800.

9) Klinisches Taschenbuch. Leipz. 1804.

10) Kunst die Krankheit, d. Mensch. zu heilen. Erfurt 1804.

Ne autem illos transeamus pathologicos scriptores qui practico usu magis neglecto, scientifica variis principiis superstructa systemata edere maluerunt, sequentes, eosdem celeberrimos nominabo:

C. Fr. Daniel, etsi ipse Suavagesii systema edidit, aliud tamen systema aegritudinum proposuit 11), quod non tam symptomata externasque formas, quam potius naturam ipsam morborum pro illis dividendis sibi sumit fundamentum.

Decem is constituit morborum classes:

- I. Neuroses
- II. Sepses
- III. Saburras
- IV. Plethoram
- V. Pyogeniam
- VI. Catarrheuma
- VII. Cachexias
- VIII. Coniunctiones
- IX. Dyptrophias
- X. Morbos anonymos.

Gad. Plouquet 12) pathologiam optime ad physiologiam referendam esse duxit morbos se-

---

11) Systema aegritudinum. Lips. 1780.

12) Delineatio systematis nosologiae. Tübing. 1791.



cundum varias organicas functiones in sequentes septem classes dividit:

- I. Morbos nervosos
- II. - circulationis
- III. - respirationis
- IV. - nutritionis
- V. - excretionum
- VI. - sexuales
- VII. Mutationes qualitatuum sensibilium.

Hoc vero systema non solum in ultimis classibus principium divisionis mutat, sed etiam vix probandum est; singulae functiones in physiologia quidem seorsim per se considerari possunt, quia in statu normali secundum certas leges invicem in se agunt, attamen non est negligendum, quod in statu morbooso tam vario modo mutantur, modo una, modo plures, modo omnes, ut per se nullum certum divisionis fundamentum praebeant. Omnium verum recentioris temporis systematicorum pathologicorum nullus tot assecclas sui systematis invenit, quam Bruno 13) qui vitae ipsius naturam et processum simplicissimo modo cognovisse et depinxisse sibi aliisque videbatur, ita ut sententia eius de origine morborum et de unica

---

13) Elementa medicinae. Lond. 1780.



eorum vera divisione per longum tempus valeret. Non meum est, hic de huius systematis pretio, de quo tot fere libri scripti sunt, quod verba haec dissertatio continet, diiudicare. Tantum principium illi suppositum memorare volo partim ob rei integritatem, partim, quia hoc systema in therapeutico respectu medicinae tot saltem in commoda, quot in theoriae respectu commoda attulit. Minime enim negari potest, multas easque sagacissimas disquisitiones, quas Brunonis schola de singulis virium vitalium conditionibus instituit et edidit plurimum ad progressus scientiae medicae contulisse.

Bruno igitur vitae humanae elementa in organisatione et in vi vitali posuit, quae posterior facultas est, externis stimulis affici et incitabilitas nominatur. Incitabiles et Incitamentorum productum incitatio seu vitalis actio est. Sanitas igitur et morbus partim ab organisationis partim ab incitationis conditione dependet, qua re omnes morbi praecipue in morbos organisationis et incitationis dividuntur. Incitatio vero Brunoni quantitate tantum a norma secedere posse videbatur, ita quidem ut vel aucta, vel imminuta appareret. Morbi acuta incitatione effecti hypersthenici, illi imminuta incitatione proVecti asthenici nomina-



bantur, et quidem posteriores denuo in directe et indirecte asthenicos] discedebant, prout incitatio aut incitamentis nimis debilibus haud satis magna provocaretur, aut stimulis et incitatione praegressis tantopere exhauriretur, ut incitabilitas, incitationis gravissimum momentum, exhausta esset.

Hoc systema non solum ob theoriae simplicitatem sed etiam ideo maxime medicis arrisit, quod non solum pathologia sed etiam therapia simplicissima ex eo derivari posse videretur. Quum enim multa sint remedia, quae organismum debilitent roborantque, tota materiae medicae supellex in remedia roborantia et debilitantia dividebantur, omnisque medicorum curatio methodis roborante et debilitante confinebatur. Hic theoriae Brunianae influxus in methodum curandi medicinae tantopere nocuit, ut non solum non melior virium vitalium innormalium cognitio, sed etiam perniciosae sequelae curationum illam theoriam sequentium summa illius systematis vitia patefacerent.

Impulsu autem ad divisiones morborum theoreticas dato, alii viri in alios perducti sunt errores prout, in singulis recenter efflorescentibus scientiis naturalibus, huic vel illi disciplinae dederunt operam.

Quum vero exeunte saeculo procedente phy-



siologia per Hallerum, chemica per Lavoisierum; et philosophia naturalis per Schellingium maxima ceperit incrementa, viri non defuerunt, qui in his disciplinis solam veram morborum cognoscendorum et dividendorum viderent theoriam. Ita exorta sunt: Systema morborum philosophicum E. R. Darvini 14). Is omnes morbos ad motum normen partium organicarum retulit, eosque dividit in:

- I. Motus partium irritabilium
- II. - - sensibilibium
- III. - - voluntatis
- IV. - - associationis

Chemicum respiciens I. B. Beaumesius, omnes morbos ad singula elementa chemica retulit eosque dividit in:

- I. Morbos Oxygenisationis
- II. - calorificationis
- III. - hydrogenisationis
- IV. - azotisationis
- V. - phosphorisationis

In philosophia denique naturali omnem medicinae salutem ponentes, asseclae Schellingii spe-

---

14) Darwin Zoonomie a. d. Englischen von Brandis Hannover 1795.



culativam morborum divisionem condiderunt, quae dimensiones tantum irritabilitatis, sensibilitatis et reproductionis ut principium classificationis agnovit.

Mox vero practici medici intellexerunt omnes has speculationes in arte nostra exercenda nullius esse commodi ideoque singuli ad practicas iterum morborum divisiones redierunt, quas etiam Swediauer 15) Raimann 16) et Conradi 17) secuti sunt. Prioris systema quinque continet classes.

I. Febres

II. Cachexias

III. Neuroses

IV. Eccriseses

V. Vitia localia

Raimann has classes duabus adauxit septemque eius classes sunt:

I. Febres

II. Inflammationes

III. Efflorescentiae cutaneae

IV. Cachexiae

---

15) Novum medicinae rationalis Systema. Hallae 1812.

16) Handbuch der speciellen Pathologie und Therapie Wien 1826.

17) Handbuch der speciellen Pathologie und Therapie Marburg 1826.

V. Eccrises (Morbi se-et excretionis)

VI. Neuroses

VII. Vitia organisationis

Haec omnia nobis persuadent, ut praxis medica maxime illam angritudinum divisionem sequi debeat, quam natura ipsa in manifestationibus morborum pergravissimorum symptomatum universalium nobis praebet. Praecipue autem in medicina tiro, qui naturam universam vultu intueri nequit, contentus esse debet, si singula eius fragmenta rite intelligere et inter se coniungere potest, inconsultam omnem evitet speculationem sinceraeque sese tradat observationi. Qua re commotus, quum singularum classium aegritudinem perlustrare non valeam, unam tantum considerare, eamque cum qualitatibus suis definire et describere suscepi, ad quod negotium nunc in sequente capite.

---



## CAPUT III.

## De cachexiis in genere.

Omnes fere practicae aegritudinum divisiones, nec tantum illae, quas, in antecedente capite memoravimus, unam morborum classem ab omnibus aliis secernunt, eamque cachexiarum nomine induunt. Id iam nos certiores facere debet, esse aliquem multis morbis characterem communem, qui hos designat, eosque ad certam unitatem coniungit. Proposito nostro prius memorato obedientes, nunc disquirere volumus, qualis ille sit character et quali gravi et constante signo se manifestet. Hoc signum nihil aliud esse potest, nisi symptoma certum; hoc symptoma autem secundum ea, quae antea de symptomatum ad morbos dividendos momento diximus, eiusmodi esse debet, ut non solum huic morborum classi semper conveniat, sed etiam huic soli respondeat, ita, ut eo praesente, semper cum certitudine eiusmodi status morbosos assumere possimus, qui ob magnam inter se similitudinem iure ad unam classem referri possint. Eius modi symptoma vero minime simplex esse potest i. e. non unam tantum functionem organicam simplicem afficere debet, quia nul-



lum fere reperitur symptoma, quod non in variis, immo contrariis, conditionibus morborum per varios sympathiae et antagonismi effectus observari possit. Universalis igitur, ideoque composita organismi actio, certo modo corrupta et certo gravi symptomate manifestata requiritur, unde character ille totius aegitudinum classis derivetur. Ad huius modi vero actiones organicas prae omnibus pertinet reproductio. Organismum scilicet humanum continuo vita ipsa se derimere et restituere ante ante iam diximus. Singula duplicis huius processus momenta, quae physiologi metamorphosin progressivam et regressivam nominant, certam inter se observare debent rationem; si valetudo integra perduret, Variatur quidem haec ratio tum variis humanae vitae aetatibus, tum conditionibus nonnullis morborum, ad quas amovendas alienata reproductio functionis requiritur. De his igitur reproductio mutationibus partim physiologicis partim pathologicis quidem sed praetereuntibus et nonnunquam salubribus nobis non sermo est quippe quorum priores ad pathologiam plane non pertineant, posteriores, plurimis, et sibi oppositis morbis propriae ad characteristicum classis signum haud idoneae videantur. Nihilominus autem observatio nos docet, reproductio functionis



nem universalem saepe numero tam corruptam esse, huncque statum tam diu perdurare, ut metamorphosis progressiva magis magisque imminuatur, donec denique plane cesset. Eiusmodi status necessario magnum numerum aliorum phaenomenorum provocare debet, quae simili causa orta, similem prae se ferant formam. Quum scilicet organismi integritas ab integra dependeat reproductione, hac corrupta, ille etiam in qualitate normali se tueri nequit. Qualitas autem organismi, per reproductionem servata, tum in volumine, tum in forma seu habitu eius constat. Imminuta igitur, seu corrupta diutius reproductionis functione tum volumen, tum habitus organismi laborare debent, qui status oculis nostris se praebens, optimo iure graeco nomine cachexiae designatur. Cachecticus igitur status sive habitus pravus symptoma tam grave, tam constans et tam compositum est, ut optime ad morborum plurium classem constituendam inserviat. Compositio enim symptomalis eam mihi designat qualitatem status, quae, si existit, certam seriem aliorum phaenomenorum simul requirit, et quae demum idoneum me facit, non solum ad certam imaginem morborum classis ipsa sola exprimendam sed etiam ad necessarias subdivisiones constituendas. Itaque reproductio,



quum in totalitate sua maximi et constantis momenti pro organismi servando sit, si corrumpitur, in genere quidem eundem in valetudinem universalem influxum exercebit, eandem igitur aegritudinum classem praebebit, in singulis autem phaenomenis satis magnas provocabit varietates, prout variae reproductionis conditiones singulae ut variae singularum ad reproductionem pertinentium actionum morbose mutatae sint, sive aliis verbis, prout variae causae cachexiam universalem effecerint. Inde patet, primum nostrum esse officium, ut ideam cachexiarum classi suppositam proponamus, finesque proferamus, quibus morbos cachecticos circumscribere velimus. Multae autem, et a celeberrimis ipsis medicis cachexiarum datae sunt definitiones, quibus inter se et cum naturae observatione comparatis, sequenti modo haud inepte cachexias definiturus esse mihi videor.

Cachexiae illos status morbosos amplectuntur, qui reproductionis functionem universalem corrumpunt, ita quidem, ut nutritio organismi imminuatur, non solum obiter et transitorie sed in totalitate et continenter magis magisque prosternatur, quare ratio inter metamorphosin progressivam et regressivam alienatur donec tandem posterior ita praevalet, ut organisatio se tueri nequeat et simul



materia pariter viribus decrescens succumbat. His perpensis facile morbi cachectici ab omnibus aliis discernendi sunt, in quibus similia phaenomena observantur. Decrementum enim voluminis organismi aequae ac deformitas eius haud raro etiam alios morbos praecipue acutos magno cum vigore decurrentes, symptomatice concomitantur, in his vero omnibus non tam ex morbi ipsius natura oriantur, sed potius e vehemente organismi certamine, ad aequilibrium restituendum; in cachexiis contra marcor ille finem quasi et scopum morbi ipsius continet nec tantum symptoma singulare aliis coordinatum, sed omnium aliorum symptomatum effectum et complexum praebet. Quaecum ita sint, cachexiae etiam ut morbi tabem (in sensu latiore) efficientes et quidem usque ad organismi dissolutionem possunt considerari, et magno cum iure nomen morborum tabeficorum merentur, quod Berends 18) iis imposuit. Illa a nobis data definitione error simul medicorum evitatur, qui reproductionem quidem corruptam cachexiarum causam arbitrantur proximam, in eo autem peccant, quod organicum systema reproduc-

---

18) C. A. Berends *Lectiones de morbis tabeficiis* ed. H. Stosch Berol. 1829.



tionum pro unica et primaria cachexiarum sede venditant. Reproductio enim proxime sine dubio ab organis systematis reproductivi integris seu laesis dependet, integritas autem aut corruptio horum organorum eorumque actionum multis causis, non in iis ipsis, sed in aliis organis positus provocari potest et debet. Quis enim est, qui nesciat, systema reproductivum in arctissimo esse connexu cum nervoso et sanguifero, ita, ut ab horum conditione et influxu dependeat et dirigatur. Cachexiae igitur, etsi semper morbi effectum in systemate reproductivo manifestant, eius causam primariam et sedem persaepe in utroque modo nominato systemate habere possunt. Quum vero reproductio ipsa a systemate quidem reproductivo exeat, facile patet, tabem illam cachexiis ortam in caractere suo universali semper esse eandem, sive reproductionis integrae impedimenta primarie in organis reproductioni destinatis, sive in systematibus organa reproductiva moderantibus posita sint. Si enim systemata vasorum et nervorum, primarie affecta, systema reproductivum ita corrumpunt, ut functioni suae satisfacere nequeant, necessarius huius corruptionis est effectus, ut reproductio et quoque corrumpatur. Semper igitur universalis tabes sequitur, aliis tantummodo



sub phaenomenis, alio aegritudinis decursu, prout causa et sedes primaria in variis systematibus organicis posita sit. His rite intellectis satis clara lux in cachexiarum causas, prognosin et curam affulgere mihi videtur, quarum posteriores rationes a meo proposito alienae sint, de causis tantum nonnulla faciam verba quippe quae aptissimam praebeant ansam cachexias in singula genera subdividendi.

De causa proxima antea iam diximus, eam, etsi in nutritionis defectu se manifestet, attamen etiam in vasis sanguiferis et lymphaticis tum in nervis positam esse posse. Praedisponentes causae secundum observationem sunt partim seminum haereditarium, partim desorganisatio adnata, partim repropuctio praecox, partim morbi praegressi reproductionem nimis vehementer et nimis diu corrumpentes. Ad occasionales causas omnes pertinent res, quae vires vitales exhauriunt, sive materiali sive dynamica via.

Variae igitur rationes, quibus morbus tabeficus provocatur variaeque modificationes inde orientes, sub quibus decurrit, singula genera, et in his denuo singulas cachexiarum species designant. Etiam si igitur omnium cachexiarum finis idem fere sit, via tamen, quae ad hunc finem progreditur,



varia est, et in hac varietate divisionem cachexiarum aptissime condere possumus, quae res sequenti capiti praebet argumentum.

## CAPUT IV.

### De Cachexiis in Specie.

In nulla fere morborum classe tantam invenimus varietatem et confusionem singularum specierum, quam in ipsis cachexiis. Quum enim haec classis non ut illa febrium et aliae in simplici aut praesente aut deficiente symptomate condita sit, sed in multorum symptomatum coniunctione, quae in uno eoque gravissimo reflectuntur, constet; res accidentales saepe cum essentialibus, transitoriae cum perpetuis commutatae sunt, ita, ut fines huius classis mox nimis dilatarentur, mox nimis anguste circumscriberentur. Duplicis huius erroris prior ab illis commissus est, qui, ubi corporis macescentiam videbant, ibi cachexiam stauerunt, haud cogitantes, multos morbos reproductionis imminutionem, marcorem igitur, in sanatio-



nis auxilium vocare, hos igitur, etsi vires deficiant ad sanitatem restituendam, etsi illo igitur marcore perdurante tristem habeant exitum, attamen cachexiis excludendos esse. Alii contra in contrarium abierunt errorem, qui, reproductionem prostratam, habitum deformem, et marcorem in dies crescentem, cum cachexiarum natura nimis anxii coniungentes, omnes cachexias statim in initio illa signa manifestare debere putaverunt, ideoque eos morbos cachexiis non adnumeraverunt, qui etsi tabem semper et necessario in ulteriore decursu provocant, in initio hoc caractere carent.

Mihi vero, secundum definitionem prius datam, omnes morbi ad cachexias numerandi videntur, qui secundum naturam suam citius serius sed necessario marcorem illum provocant, revera igitur tabefici sunt. Secundum hanc rationem cachexias in idiopathicas et deuteropathicas dividere possumus, ad quarum priores illas nominaverim, quae ex praecoce corporis juvenilis evolutione, ex nutrimentorum defectu, vel prava qualitate ex longo et diuturno morum mollium profluvio adducta, ex animi denique affectibus deprimentibus originem ducunt. Ad posteriores illae pertinent, quae post morbos praegressos, modo nominatas conditiones adducentes, oriuntur. Ut autem hanc



totam cachexiarum familiam in singula sua membra rite dividamus, accuratior divisio necessaria est, quam secundum hoc principium instituere possumus:

Reproductionis functionem universalem ex methamorphosi progressiva et regressiva constare et utramque tum ab integritate systematis reproductivi, tum a normali actione systematis vasorum et nervorum dependere prius iam memoravi, quibus per se singulis corruptis varia morbi cachectici manifestatio sequatur necesse est. In his igitur modificationibus et causis primariis varia quoque genera cachexiarum suam inveniunt definitionem.

Varios de morbis cachecticis scriptores perlegentes tanta non solum nominum singulorum varietas, sed etiam variae et sibi dissimiles aegritudinis formae sub eodem nomine veniunt. Quum enim qualitates propriae virium vitalium reproductionem directe et indirecte moderantium nobis obscurae sint, omnes rationes cachecticos morbos in iis ipsis corruptis monstrandi, contingere nequeunt, et qui hanc viam persequuntur, arbitrio magis quam rei naturae ducuntur, ita ut nullus inter eos adesse possit consensus. Etsi autem vim reproductivam ipsam intelligere haud possimus,



singulos saltem processus reproductionis ex physiologia novimus, ita, ut processum vegetativum ab initio usque ad finem persequendo conditionesque singulas ad eum pertinentes functiones moderantes contemplando, varios modos eruere possimus, quibus reproductio in totalitate prosternatur et cachexiarum varia genera oriantur.

Progressiva et regressiva metamorphosis re-productionem componunt. Incipit autem prior iam cum assumptione ciborum, et deglutitionem, concoctionem, chymificationem, chylicationem et assimilationem continet, posterior in organis secretoriis incipiens per organa excretoria finitur. Omnia singula haec momenta partim a vita propria organorum reproductiones, partim ab influxu systematis nervorum dependent, itaque triplici modo reproductionis functio in totalitate corrumpi potest, primum scilicet imminuta metamorphosi progressiva denique utraque generatim alienata per morbosam systematis nervosi affectionem, qua organa reproductiva non adjuvant.

Tria igitur cachexiarum genera, a natura ipsa discreta, proponere possumus.

I. Atrophia illum statum reproductionis corruptae designat, in quo metamorphosis progressiva imminuta aut suppressa est.



II. Phthisis illas continet aegritudines cachecticas, in quibus metamorphosis regressiva aucta est.

III. Tabes illam corruptam imminutam reproductionis universae conditionem exprimit, quae morboso influxu systematis nervosi provocatur.

His accuratius consideratis, haud difficile erit intellectu, quatenus singulorum horum generum sit extensio, quasnam igitur singulas aegritudinum species singula contineant genera. Attamen negari non potest, non semper in statu cachectico unum alterumve modo nominatorum corruptae reproductionis generum simplex et purum adesse, sed potius multas observari cachexias, in quibus simul plures conditionum ad reproductionem necessariarum corruptae sint, qua re aegritudo certa compositum prae se ferat characterem. Pro nostro consilio sufficiat, tria illa genera seorsim contemplari, eorumque varias modificationes uti singulas species aegritudinum memorare. Atrophia oritur, si metamorphosis progressiva in singulis suis partibus imminuitur. Hoc autem variis causis fieri potest. Omnia scilicet, quae assumptionem alimenterum impediunt, sive eorum defectus sive organorum assumptioni et deglutationi dicatorum dynamici morbi vel organica vitia hanc atrophiam gig-



nere debent, quae atrophiam ex fame seu ex defectu alimentorum nominari potest. Etiam si haec prima metamorphoseos progressivae provincia normalis est, attamen ulterior eius progressus, ab organis chylicis dependens, horum corruptione morbose affici potest. Pertinent autem huc praecipue glandulae lymphaticae, quae, chylum praeparantes, maximum, in assimilationem exercent influxum. Si igitur, quocunque modo sit, glandulae illae ad functionem suam normalem ineptae sunt, atrophiam sequi debet, quae vario induitur nomine, secundum variam primarum glandularum lymphaticarum corruptionem saepissime vero haec atrophiam in infantili aetate producit, inde paedatrophiam, atrophiam mesentericam scrophulosa nominatur.

Phthisis, ut antea diximus, metamorphosin regressivam auctam supponit. Hic status duplici modo se manifestat, aut scilicet metamorphosis regressiva, quae cum progressiva in secretionibus se coniungit, in his ita praevalet, ut materia alimentaria, priusquam summum praescriptum evolutionis gradum assecuta sit, iam metamorphosis alienata laboret, et substantia organica humilior excolatur, aut assimilatio quidem perfecte progreditur, materia autem exulta nimis cito metamorphosi regressiva dissolvitur, ita, ut restitutio materiae



organicae dissolutioni haud par sit, et integritas organisationis auferatur.

Duplicis huius status prior hecticus secundus phthisicus proprie nominatur. Hectica igitur plerumque cum secretionibus auctis et corruptis coniuncta est et secundum harum varietatem hectica (etsi plerumque phthisis) pituitosa, urinaria, (diabetes) lactea (galactorea) nominatur. Phthisis contra plerumque eo oritur, quod unum vel alterum organon profusa et morbosa secretionem laborans, organismo materiam necessariam detrahit.

Phthisis igitur oriri debet tum si secretio per se normalis immodice et ad longum tempus auctetur, itaque per blenorhoeas, iacturam lymphae, seminis, lactis, per copiosos continentes sudores et diarrhoeas, tum, si prava organi nobilis secretio nimis diu perdurat, itaque praecipue per ulcerationes organorum. Inde phthisis denuo in profusorias et exulceratas dividi possunt.

Tabes denique ex corrupto systematis nervosi influxu originem ducit, facile oritur, si aut fortuitae causae nocentes actionem nervosam supprimunt (tabes metallurgorum et dorsalis) aut exhausta vi vitali per aetatem totus organismus debilitatur (marasmus senilis).



His omnibus perpensis, clara quoque lux in decursum et symptomatologiam singularum aegritudinum cachecticarum effunditur nec difficile est intellectu, cur hi morbi partim iam ab initio partim sub fine demum a febre stipantur, et quo denique modo febris hectica et phthisica et ulcerata inter se variae esse debent, quum e fontibus variis oriantur.



## VITAE CURRICULUM.

---

Ego Henricus Henseler, fidem profiteor catholicam, Bilefeldiae, Guestphaliae urbis, die decimo sexto Septembris anni millesimi octingentesimi quinti natus sum. Patre Henrico Guilelmo Henseler, quem morte mihi ademtum iam lugeo et matre adhuc superstite Maria Theresia Henseler e gente Müller gavisus. Primam aetatem in patria transegi, quo tempore doctrinas, quibus aetas impertiri debet puerilis, mihi acquisivi. Dein Paderbornam profectus ut adirem Praefecto Dignissimo H. Hilker gymnasium, ut audit Theodorianum, quod in illa urbe adhuc Directore Dignissimo H. Gundolf floret, ibique per sex annos studiis humanioribus operam navavi. Examine abiturientium absoluto anno millesimo octingentesimo vicesimo sexto Universitatem literariam, Georgiam Augustam, Goettingensem petii et die septimo Novembris ab Illust. Thibaut t. t. Prorectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, hasce per biennium audiavi praelectiones:



Ill. Mayer de Physice experimentalis, Ill. Hempel de Osteologia, Syndesmologia et Myologia, Ill. Langenbek de Anatomia, Neurologia et Chirurgia, Ill. Conradi de Encyclopaedia et Methodologia medica, de Pathologia et Therapia tam generali, quam speciali, Ill. Schrader de Botanice et generali et pharmaceutica, eiusque excursionibus botanicis haud defui. Ill. Blumenbach Historiam naturalem, Physiologiam et Anatomiam comparatam, Ill. Stromeyer Chemiam et Pharmaciam, Ill. Himly Pathologiam et Therapiam generalem et specialem ac doctrinam de oculorum auriumque morbis mihi tradiderunt Artem etiam cadavera dissecandi Ill. Langenbek et Ill. Hempel debeo.

Quibus peractis anno millesimo octingentesimo vicesimo octavo Universitatem Fridericam Guilhelmam Rhenanam me contuli et a viro t. t. Rectore Ill. Hefter literas testes inscripti in Album Academiae nominis recepi et apud Decanum t. t. facultatis medicae Ill. Bischoff nomen confessus sum. Sub anni decursu unius hosce inclytos viros disserentes audivi. Ill. de Walther de chirurgia, acciurgia. ophthalmologia, Ill. de Calker de Psychologia et Logica, Ill. Noeggerath de Mineralogia, Ill. Goldfuss de Zoologia, Ill. Kilian de arte obstetricia et acciurgia obstetricia. Exercitationum clinicarum chirurgicarum duce usus sum, Ill. de Walther, clinico medico pathologico et therapeutico, Ill. Nasse duce interfui.

Bonna dein relicta ad almam Musarum sedem



Berolinensem profectus die quatro Novembris anni millesimi octingentesimi noni a. t. t. Rectore Magnifico, Ill. Hegel civibus accademicis adscriptas et a facultatis medicae Decano spectabilissimo Ill. Wagner in facultatis Album illatus sum. Ab eo inde tempore Ill. Osann Materiam medicam, Ill. Rudolphi Anatomiam pathologicam, Ill. Kluge ossium fracturas et luxationes, Ill. Wagner Medicinam forensem frequentavi Ducibus Ill. Rust clinicum caritatis chirurgicum, Ill. Jüngken clinicum ophthalmologicum, Ill. Bartels clinicum medico-pathologicum et therapeuticum, Ill. de Graefe clinicum chirurgicum et ophthalmologicum et Ill. Busch clinicum obstetricium tam auscultando quam practitando adii.

Iam, Tentamine philosophico medicoque nec non examine riguroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque palmam defensis summi in medicina atque chirurgia honores mihi concedantur.

---



---

## THESES.

---

### I.

**Nulla in organismo vivo actio sed tantum reactio.**

### II.

**Specillum unicum nobis praebet remedium certum ad calculos in vesica urinaria cognoscendos.**

### III.


**Musica in nonnullis vesaniae speciebus remedium est non negligendum.**

### IV.

**Plantae, quae ad unum genus naturale pertinent, etiam saepissime in viribus medicis conveniunt.**

---





THE JOURNAL OF THE

AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION

PUBLISHED WEEKLY

CHICAGO, ILL., U.S.A.

VOLUME 10

NUMBER 1

JANUARY, 1917

Published by the American Medical Association, 535 North Dearborn Street, Chicago, Ill.

Subscription price, \$5.00 per annum in advance.

Entered as second-class matter, June 26, 1907, Post Office at Chicago, Ill., under No. 100,000.

Acceptance for mailing at special rate of postage provided for in Act of October 3, 1917, authorized on July 10, 1918.

Postage paid at Chicago, Ill.

Copyright, 1917, by American Medical Association